



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio LV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Hostes Christi & Papæ sunt, qui propter uenias prædicandas, uerbum dei in alijs ecclesijs penitus silere iubent.

QVIA officium & mens Papæ est, ut ante omnia semper, & ubiq; uelut uerbum dei prædicari, sicut sibi præceptum esse a Christo nouit, Quomodo ergo credendus est Christo, & sibi ipsi repugnare: At nostri id audent sicut & omnia.

CONCLUSIO LIII.

Iniuria fit uerbo dei, dum in eodem sermone, æquale uel longius tempus impenditur uenijs quam illi.

SATIS patet ex dignitate uerbi dei, imo ex necessitate, cum uerbum ueniarum neq; sit necessarium, neq; multum utile.

CONCLUSIO LV.

Mens Papæ necessario est, quod si ueniæ (quod minimum est) una campana, unis pompis, & cæremonijs celebrantur Euangelium (quod maximum est) centum campanis, centum pompi, centum cæremonijs prædicetur.

QVIA nihil in ecclesia est maiore cura tractandum, q̄ sanctum Euangelium, cum ecclesia nihil habeat preciosius, & salubrius. unde & hoc unicum est opus, quod discipulis suis iniunxit, tam repetitis uicibus. Et Paulus dicit, se non ad baptizandum, sed ad euangelizandum missum. Deniq; Christus præcipit sacramentum eucharistiæ non celebrari, nisi in suam cõmemorationem. Et Pau. i. Cor. xi. Quotiescunq; māducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis. Melius est em̄ omittere sacramentum, quã euangelium non nunciare. Et ecclesia statuit Missam sine lectione Euangelij non celebrandã, Plus itaq; ponderat Euangelium q̄ missam deus, quia sine euangelio non uiuit homo in spiritu, Sine missa aut uiuit. In omni uerbo em̄, quod procedit de ore dei, uiuet homo, ut latius Ioan. vi. dominus ipse docet. Deinde missa reficit eos, qui iam sunt in corpore Christi, Euangelium uero, gladius spiritus, deuorat carnes, diuidit Behemoth, tollit uasa fortis & auget corpus ecclesie. Missa nulli prodest nisi iã uiuo, Euangelium prorsus omnibus. Vnde in primitiua Ecclesia mittebantur Energumeni & catechumeni usq; post Euangelium interesse,



## M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

& tum foris mittebantur ab ijs, qui de corpore missæ erant, & nunc etiam permittunt iura excommunicatos usque post Euangelium interesse missis. Sicut Ioannes præcurrit Christum, ita Euangelium missam. Euangelium prosternit & humiliat, Missa humiliat dat gratiam. Melius ergo facerent, si missam prohiberent.

Quam pulchrum uero dæmonibus spectaculum id esse putas, si quando ueniarum effusores, ipsi maxime uenijs indigi (puta Simoniaci & in Canones lapsi) dant illis, qui prorsus non egent uenijs:

### CONCLUSIO LVI.

Thezauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

HAEC est mors secunda, quam merui. Ideo postquam multa iam diu asserui, tam manifesta, ut protestatione non egerent. Nunc rursum aliquando disputandum est, ideoque & prestandum nouissima protestatione in hac disputatioe. Disputo ergo hic, & quæro ueritatem, testis lector, testis auditor, testis uel ipse hæretice prauitatis inquisitor.

### CONCLUSIO LVII.

Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatores, SATIS patet experientia.

### CONCLUSIO LVIII.

Nec sunt merita Christi & sanctorum, quia hæc semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem mortem, infernumque exterioris.

HUIUS Conclusionis materia profunde nimis inhaesit, atque penitus insedit fere omnibus doctoribus, ideo latius & firmitus probanda mihi erit, faciamque id cum fiducia.

De meritis sanctorum prius. Dicunt enim quod sancti in hac uita multa operati fuerunt, ultra debitum, uidelicet opera supererogationis quæ nondum sunt remunerata, sed in thesaurum Ecclesiæ relicta, quibus fit per indulgentias aliqua digna compensatio &c. Et sic uolunt sanctos pro nobis satisfecisse, Contra quæ arguo.

Primo, Ergo indulgentiæ non sunt indulgentiæ, quod probabo; quia non sunt gratuite remissiones, sed alienæ satisfactionis